

lefactum: in quo casu etiam peius est, quod crudæ sint, vel quod sint optimæ, aut dulces, veluti lacti saccharo, aut melli permixtæ, & eadem pessimæ sunt. Ventriculus autem non eiicit illas, cum sint ei familiares, neque enim reiecit quicquam, nisi concoctum prius, aut odiosum: & odiosum eiicit per vomitum: ideo tales non solet eiicere, cum verò fuerint pituitosissimæ, sunt & homines raucosissimi, non solum ob descensum crudi humoris ad arteriam asperam, sed ob impedimentum quod illi accidit ex simplici consensu gulæ cum aspera arteria & ventriculi, cum pectore: licet Medici credant solum ob primam causam id contingere, cum contingat maiore ex parte, & maximè supposito, ut hinc facit Hippocrates, hyemali tempore ex refrigeratione membrorum spiritualium, & illi attinentium. Circa verò aquas stantes quatuor præcipue sunt earum genera, lacus, stagnum, palus, & collectitia quæ ex imbribus colligitur in cauis locis, quam nemo sani sensus etiam in ardentissima siti bibat, cum non solum mala sit, sed pessima & horrida, aliarum lacustris minus mala est, quæ motum aliquem habeat, & à piscibus expurgetur: pessima palustris, quæ motu caret, neque temporis siccescit aliquando spatium: neque enim partes habet intercapedine distinctas, in quibus plantæ & terra eminent, his duobus à lacu palus distinguitur. Medium horum est stagnum, quod oritur à terra, & in hoc à palude differt, in quam aliunde influunt aquæ, & à lacu magnitudine, ut ita dicam, tantum: est enim stagnum exigua res, sed & in stagnum non influunt, nec effluunt aquæ, velut à lacubus solent, quanquam sint aliqui lacus, quibus nihil influit, neque effluit. Sunt tamen perpetua hæc omnia, licet, ut dixi, palus per sæpe maxima ex parte sicceatur, & ob id omnium pessima est, collectitia autem non est adeò mala, quia pauca est, nec est perpetua, sed in longis siccitatibus euanescit: Grammatici tamen ista confundunt nomina, sed sic propriè distinguuntur, & hic capi debent.

LECTIO XXXII.

Super

TEXT. III.

Bibentibus autem splenes semper sunt magni ac pleni, & ventres duri, tenues ac calidi: humeri verò & claviculæ, & facies attenuata: in splenem enim carnes colliquantur, quapropter graciles existunt. Edaces autem esse tales, & siticulosos par est, ventresque tum supernos, tum infernos calidissimos habere, ut etiam fortioribus medicamentis opus habeant. Arque hic morbus ipsius & æstate & hyeme familiaris est. Ad hæc etiam hydropes plurimi, ac lethalissimi fiunt.

Incipit docere specialiter morbos, eosque distinguit trifariam, ut in superioribus in

Endemios, seu proprios ciuitati: communes tamen vtrique tempori, scilicet æstiuo & hyemi, & proprios æstati, & proprios hyemi: & quando iungit æstatem hyemi, seu commemorat communes, patet quod intelligit etiam de vere & autumno: sed quando separat æstatem ab hyeme, pars morborum æstiuorum magis attinet ad autumnum, quam ad ver, alia ad ver magis, quam autumnum, & similiter hyemales. Ad distinguendum autem eos maximè oportet considerare materiam & prauitatem, & prauitas extenditur, ut sint lethales ac diurni: qui ergo sunt lethales magis ex æstiuis & longi ex hyemalibus magis pertinent ad autumnum: qui autem mites & breues ex vtrisque, ad ver: humida etiam materia & sicca maius & certius discrimen afferunt calida & frigida, morbi ergo sanguinei ad ver magis pertinebunt, & etiam pituitosi, quam ad autumnum, melancholici & biliosi ad æstatem magis quam ver: licet in æstiuis sint dissimiles: non tantum quia calor & frigus facilius inuicem commutentur quam humidum & siccum: verum quoniam calor fouetur ab vtraque causa ut calore ob similitudinem, & à frigore ob antiperistasisim & similiter frigus. Enumerat ergo inter morbos primi generis sex: nec ignoro in plures & pauciores posse deduci. Primum igitur proponit splenis seu lienis magnitudinem ac densitatem, scilicet quod pleni sint. Lien, ut habetur lib. 4. de Vsu part. cap. 15. trahit quidquid feculenti est, excernente ad ipsum iecore, & nil mirum est cum imbecillis fuerit, quod non trahat, licet tamen iecur transmittat: quod igitur antequam debilitetur in causa est ut plus trahat, quam conueniat, & vbi traxerit, ut non reiciat & expurget: hæc duo enim necessaria sunt, si debet intumescere ac impleri, scilicet ut trahat plus quam debet, & attractum non emittat. Vtinam Galen. hæc ipsa nobis declarasset: sed facile est secundam diluere dubitationem, modò primam admittamus, cum enim plurimum fuerit, quod attraxerit, in debito tempore concoquere non potest, quare repletum diutius manet, neque enim fecerit antequam separauerit, nec separare potest, donec assimilauerit, nec assimilare, donec concoxerit: ergo cum antequam feceratur alia portio, superueniat necesse est impleri & tumescere, ac maiorem fieri. Cur verò attrahat, plus quam necesse sit, non id ab initio in causa est, quod solum iecur transmittat, cum Hippocrat. doceat, hos motus fieri ab vtroque membro, vno impellente, altero attrahente. Et rursus Galen. idem fatetur de ventriculo erga iecur, tum etiam de iecore erga cor: viderur tamen vbiq; subterfugisse Galenus hoc, ut fateretur membrum membro transmittere aliquid, sed solum expellere superflua, aut per loca exitus, ut ventriculum ad intestina: aut per villos non propria vi expultrice: ut iecur ipsum non ad renes quicquam aut ad lienem transmittat. Dignus sanè qui à tota posteritate odio habeatur, cum ut ne Erasistrato subscriberet, expultricem facultatem principium transmittendi vrinam ad renes afferenti, tam pulchrum & necessarium dogma prodiderit;